



Imperatorum Mexicanorum, Regum Hispaniæ, Lusitaniæ, Angliæ,  
Ducum, Marchionum, Comitum,

**S O B O L I,**

Cardinalium; Proregum; Antistitum; Legatorum; Consiliariorum; Togatorum

**A G N A T O,**

Josephi equitis velleris aurei, & à Secretis Regis Ferdinandi VI

**F R A T R I,**

**EXERCITUUM CATHOLICÆ MAJESTATIS DUCI,**

Prætorix Cohortis Tribuno, Hispaniarum Magnati, Marchioni de Sarria,

**EXCELLENTISSIMO DOMINO**

**D. NICOLAO DE CARVAJAL, LENCASTER, VIVERO,**  
Noroña, Sande de Sande, Padilla, Motezuma,

*offert demisso, humili, reverentique animo,  
Theses ex Sacra Scriptura depromptas,*

**N O M I N E,**

qui præerit illis,



**Doct. D. MICHAËLIS ANTONIJ DE MONTES A PIÑEIRO,**

Canonici Lectoralis Apostolicæ Metropolitanæ Ecclesiæ Jacobæ,  
& in Academia Compostellana divinarum literarum  
Interpretis,

**D. JOACHINUS SANTIYAN ET VALDIVIESSO;**

qui; ut moris est; sedebit propugnaturus;

**COMPOSTELLÆ:**

Ex Typographia Bonaventuræ Aguayo, Typographi  
ejusdem Sanctæ Ecclesiæ.

Squamis; *lege* squamis — diglutiebant; *lege* deglutiebant — conijcio;  
*lege* conijcio — immoderata; *lege* immoderata — profligando; *lege* pro-  
fligando — plaudamentum; *lege* paludamentum — fanore; *lege* foe-  
nore — effaminatis; *lege* effoeminatis — conge; *lege* longe — mare-  
tricula; *lege* meretricula — sub dio; *lege* sub diu — effusa; *lege* effu-  
sa — uetusque; *lege* hucusque — laudabilia; *lege* laudabiliora — for-  
ssam; *lege* forsam — emoluisse; *lege* emolluisse — aliquantisper; *lege*  
aliquantisper — subridentes; *lege* subridentes — transfundent; *lege*  
transfundent — tament; *lege* tamen — musituros; *lege* musitatu-  
ros — presto; *lege* prasto; =

EXC<sup>ME</sup> PRINCEPS.

ICHI olim cogitanti ; & in memo-  
 riam sæpenumero redigenti ortus ,  
 incrementa , & fines scientiarum ,  
 illi dumtaxat beati solebant videri , qui dies , ac noctes transigen-  
 tes exercitatione disciplinarum , discussa errorum caligine , vel præ-  
 stantem animo pulchritudinem , vel honestatem , decus , ac tran-  
 quilitatem vitæ comparabant. Siquidem cum solertissimo Dei con-  
 silio id optimè sanctum sit , ut disciplinæ ad satus salutare eden-  
 dos

dos comparatæ ex rudi , & agreſti vita ad humanum , & civilem cultum animum deducant , ac non ſolum maximè fatagant vitiorum ramos amputare , verum etiam radicum fibras evellere , faciliter colligebam Cultores optimos literarum fore beatiffimos , & libenter flocci facturos rerum humanarum caſus , viciffitudinesquè. Quippè ij bonorum omnium , quæ cadere in ſapientem poſſunt, compotes facti , inter verum , & falſum , rectum inter , ac pravum ſatis , & abundè deinceps dijudicaturi : nihil verſutum , nihil tortuoſum , nihil anceps , nihil lubricum amplexuri : quàm potiùs eſſent laturi judicia de rebus certa , ac explorata , quibus cum tranquillè vivendo , ad portum poſtremò poſſent fauſtis avibus pervenire. Hinc veluti foras excurrendo , & univerſum , quàm latè patet , Orbem attentè circumſpiciendo , increpabam eorum cogitationes , & vices condolebam hominum ferocientium , qui ſuoptè ingenio proni ad quæcumque ardua capeſſenda , nec extimeſcebant currus ſalcatos , nèc elephantorum proboscides , nèc globos nitratos , nèc glandes plumbeas , nèc ſicas , nèc miſſilia , nèc alia id genus belli tormenta. Imo indolis ſuæ immemores humanum ſanguinem ſitientes ubique prælia quærebant , Civitates evertabant , mænia diruebant , reſta comburebant , ſegetes proterebant , & tanquam ſerpentes è latibulis inflato collo , arrectis ſquammiſ , & tumidis cervicibus prodeuntes ejuſdem naturæ homines immanitèr diglutiebant. O ſævitiam ſingularem ! Quæ hæc portenta , & monſtra ſunt Deus immortalis ? Aut undè nata eſſe dicemus ? Quam ob cauſam tot vaſtationes , depopulationes , ignicomburia , ſtrages , cædes , ac rapinæ ? Quis eſt , qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat ? Miſeros homines ! Quis vos inſanos beatos dicet ? Si filius Philippi fortiſſimus ille Macedo ( ut miſſos faciam Julios , Antonios , ac Pompejos , qui à teneris annis exculti bonarum artium ſtudijs , otium poſtmodum naſeantes , & in arma intrepidi conſurgentes , toto Orbe ſanguine madefacto , turpiter objerunt ) cancellos intra Licci Ariſtotelis ſapientiſſimi Præceptoris ſe cohibuiſſet , & libros de Regno , de Legibus , & iſtitutis Civitatum ab eodem Stagirita exaratos , famelicis oculis lectiſſet , & avidis auribus excepſſet ; nùm igitur Urbes Perſarum expilaſſet , Codomanum innocentiffimum Regem avitis regnis ſpoliaſſet , Tyrios ſuæ vindices libertatis crucibus affixiſſet , immenſis Bactrianos vectigalibus oneraſſet , & cum Indis veluti cum pecudibus geſiſſet ſe ſe hominum ſuperbiſſimus ? Neutiquàm meherclè : conijcio enim , nèc à verò deviare exiſtимо , cum diſciplinis exercitatum , & literis allectum humanioribus , æquiſ-

æquissimè regnaturum , latrocinia vitaturum , hostilitatès recusaturum , leges conservaturum , ac Majorum suorum tantùm supellectibile contentum sine luxu , sine fastu , sine ambitione lecto regio suam esse animam placidè efflaturum. Quoniam quæ alia in juventutis rōsa inopina causa fuit sævi Alexandri casus , quàm inmoderatæ suæ dominationis formido in Antipatro enutrita , & ad ejus filios propagata , qui frigidissima aqua stygia refertum subdolè poculum propinantes , inconsultè epoto liquore Dominum Asiæ occiderunt ? Hæc erat olim opinio mea altis fixa radicibus , exemplis corroborata , & fulta totius antiquitatis tristissimis monumentis. Nunc verò postquam te , EXCME. P R I N C E P S , vidi ( ut jam jam tecum affari incipiam ) & ipsismet quasi oculis inspexi castris locum capientem , exercitum instruentem , arces expugnantem , hostes prosternentem ; jucundissimè fui coactus in aliam profectò sententiam ire. Quippè quum humanitatis literis optimè informatus quispiam audactè arma capessit , & juxta munus strènuè gerit Cohortium imperatoris , si salutaribus præceptis , & opportunis bonarum artium documentis , quibus ab adolescentia fuit imbutus , & illaqueatus suavissimè , suas ultrò , citròquè dextras porrigit , & omnes animi accommodat affectiones , non certè hominis impudentis , crudelis , rapacis , improbi nota erit inurendus , quamvis ille ira excandescens , singulis concordix effractis repagulis , classibus mare obruat , & sanguine terram repleat , & unà armorum fragoribus exagitet eam , & concutiat. Siquidem tantus Vir artium beneficio abundè percullens se non esse natum cupiditatibus , tripudijs , comestationibus , alexæ , somnos sed ut Regi suo obtemperet , inserviat Reipublicæ , cives defendat , hostes propulset , jura tueatur ; se sapientissimè gerit , & sanctè vitam traducit vel oppida subvertendo , vel propugnacula conquassando , vel agmina profligendo , vel cibaria retardando , vel insidias moliendo , vel fruges , focos , recta concremando. Cum enim non ulciscendi libidine , non animo suffurandi , non depopulandi , non occidendi , sed Magistratibus obsequendi , Patriam liberandi , jura repetundi , fines ampliandi quicumque dux parat Exercitus , Copias explicat , iras evomit , & ubique cædes minatur , tunc porrò juris jurandi præstiti famulatur religioni , & fidei , & justitiæ , & fortitudini , & honori , & dignitati. Potissimum verò tunc illum beabunt adiumenta literarum , quæ ferocem naturâ , & in arma nimis proclivem mirum in modum emollient , & reddent humaniorem , cordatum , prudentem , modestum , mitem , facilem , temperatum. Te hunc eundem fuisse virum , militem , ac Ducem , **MARCHIO AMPLISSIME,**  
for-

fortem belli, domi clarum orationis erit scopus, quamquam propè infinitis impedimentis septus, ut magnum sit voluisse, majus suscepisse, attingere verò, maximum. Nàm quod est tantum flumen ingenij, tanta scribendi copia, tantaquè dicendi vis, quæ non dicam exornate, verùm nè ea quidèm quibus obtunditur cogitatio, vix enarrare possit? Hinc còpia, dignitate, ac pulchritudine tot commemorandarum rerùm circumventus, dumtaxat tabulam adumbrabo, & effingam simulacrum pressè, exiliter, & jejunè, cum difficile prorsus sit singula enumerare, quæ dici possunt in hoc genere. Idcirco tantummodò præcipua deligam, & quæ videntur magis excellere ad operis structuram accommodabo; veluti ea haud indiligens apicula, quæ per omnes hortos volitans, & cunctis flosculis adsultans, solùm ex magis odoriferis majorem partem succi decerpit, quo queat suum implere alvearium.

Quamvis proprijs luminibus, & vividis coloribus pingantur Icones Avorum, ac Parentum; si nepotes, & filij bardi, & hebetes sunt, aut à puero ad ea proclives oblectamenta, quibus illaqueatus animus deturpatur, & mores corrumpuntur, non profectò illustria ulla unquam poterunt deservire exempla Majorum, quæ ad res maximas gerendas deberent quoque illos excitare, & quasi pungete, seu inertiae tribuas, ac torperi, vel animi vitio, & turpitudini. Non sic, medius fidius, illi adolescentes, quibus præter indolem generosam, ingenium mite, & aspectus verecundiam, largè ipsamet natura spiritum impertivit erectum, alacrem, operosum; quippè ij Progenitorum colendis imaginibus inflammati, & stimulati calcariibus laudum amplissimarum, altè animo imbibentes egregia facta suorum, nihil sanè agendum existimant quod non sit grande, elatum, sublime, nè à vestigijs Atavorum recedendo splendorem natalium videantur obscurasse, & clarissima gesta post tot centurias ad posteros transmissa, tunc facta, & inhonesta oblivione delevisse. Hos inter esse te recensendum, VIR NOBILISSIME, haud difficultè quis arbitrabitur, si te, tuaquè intus, & in cute diligentè explorando, a primis vitæ crepundijs rem velit perducere usque ad umbilicum. Igitur vix infantiae emenso curriculo, primum affulsit lumen rationis, quæ jacebat consopita, & veluti pannis involuta, cum cæpisti actutum cogitare, & cogitando amplecti ea quæ non solùm in quolibet ingenuo puero haud solent reprehendi, verùm & in optimo, & benè instituto adolescente ad cælum usque laudibus efferuntur. Siquidem cum pueri frequentèr huc illuc percurrant, saltent, lasciviant,

equi-

equitent in arundine ; tu operas aspernando aranearum , & similes inanes ludos summo perè respuendo , tamquàm si jam virilem togam induisses , provincias plenas sollicitudinis , & stomachi , cogitatione hauriebas , & juxtà mente sorbebas fossas , cuniculos , vallos , obfidiones , pugnas , excursiones , quæ tibi gloriam sempiternam essent deinceps comparaturæ . Ita unum hoc certè videor mihi verissimè posse dicere , plures officij , & studij causa ingressos salutatos te non rarò vidisse calamo effingentem , & manu architectantem Arcem cum muris , pinnis , tormentis , & ligneis ponticulis : quæ omnia ab ætate tam imbecilli quàm maximè aliena sint , non nemo videt . Attamen hæc plerumque obtigisse incredibili salutantium gratulatione licet fortè conjecturare ex iteratis præceptis , & assiduis recordationibus quibus Magister mentem tuam imbuebat ; cum domestica tuorum agnatorum facta candidè referendo , tum & præsertim exprimendo conquistè ea bellica facinora , quæ in perpetua fide Anglorum versantur , Lusitanorum , & Hispanorum annalibus amussatim commendantur , & ad sydera , uti par est , feruntur . Audiebas fortunatis Regis Emmanuelis temporibus plures stirpis tuæ viros strenuos urbes maritimas peragrasse , & sinus , & promontoria , & insulas , & littora , postremòque Neptuno calcato , & edomitæ novis maribus ad Plagas barbaras appulisse . Hinc tu reversus ad Pelagos quondam inter mare Ægeum , & Jonium positos , nunc tamen Italiæ accolæ , videbas multa Pisis , & Mediolani fuisse molitum illum ejusdem tui gentilij famigeratum Cardinalem , hominem acris judicij , firmi pectoris , & politices artis cultorem eximium . Exin lustrabas Britanniam , Flandriam , & Oras Americanas , & illicò conspiciebas quos plaudamentum , & diadema illustrarant ; quos Ordo velleris aurei insignierat , & quos jure gentium stabilitum legationum munus nobilitarat . Dein tibi dumtaxat Hispaniæ nostræ limitibus circumfuso haud ægrè succurrebant Antistites , Consiliarij , Duces , Togati quæ præstantes scientia rerum civilium , & forensium , quæ pollentes summa prudentia , & matura exercitatione negotiorum omne genus . Quas ob res non subit mirari mentem tuam tot exquisitis imaginibus majorum tuorum ornatam , & mirificè excultam notitia tot immortalium factorum , quæ , ut in tabulis politis egregij solent facere Pictores , accuratè Præceptor tuus adumbrarat , nihil umquàm amplexam esse puerile , nihil petulans , nihil dicax , nihil scurrile ; quoniam exemplis progenitorum , quorum alij peritia rei militaris , alij munere Magistratum , alij fama legationum affatim decoraverant familiam , in te traductis , & propè immisis , cum

ad optima quæque comparatam indolem nactus esses, nihil in votis habuisti aliud, quam illorum vestigia premere, ad fastigium honoris avitum nomen perducere, & eam viam calcare, quam enervati non terunt, nec desides, nec imbelles, sed fortes, navi, industrij, prompti, & benè à natura constituti. Quod porro optare in adeò tenera ætate fuit prudentiæ, facere fortitudinis, optare verò, & facere perfectæ, cumulataque virtutis. Et hocce modo pueritiæ jactis primis tyrocinijs, gnari Parentes tui illius animi celsitudinis, quam unà cum lacte suseras, extemplò tuam ætatem finxerunt ad sublimia, informarunt ad artes belli, & ita pectori tuo atdua instillarunt, & grandia inseruerunt, ut non tantùm nefas duxeris ab illis degenerare, quàm etiam æquare necessarium judicaveris, vincere gloriosum, in eos vicissim novam cum fænore gloriam refundendo, & ad unguem exprimendo quidquid illi habuerunt præclarum, ac sublime. Verùm ego ipse in tuæ limine ætatis adhuc constitutus quæro abs te: (ignosce, dum gravibus te distentum occupationibus interpello) ille tuus innatus famæ celebritatis appetitus non ludis corruptus puerilibus, non nutricum emollitus blandimentis, sed domesticis exemplis inflammatus, & incitatus Parentum, & Præceptorum suasionibus, explevisset nè tam gloriosè illam expectationem, quam de te singuli conceperant, si non essent ei presto disciplinæ? An celsitudo mentis, animi promptitudo, æmulatio Proavorum, Parentum consilia sufficerent per se se, nisi ingenuæ artes abundè subvenissent? Reris fortassè humanos animos sine doctinarum præsidijs fore beatos? Sed, ita me Deus amet, interrogasse piget. Quid enim tibi umquam fuit scientiarum desiderio antiquius? Quid bonis literis prius? Quidvè his præclarius artibus, quæ rectà ad honoris culmen hominibus iter aperiant? Iccirò cum duæ sint artes, quæ eos locare queunt in amplissimo gradu dignitatis, imperatoris una, altera hominis eruditi, utrique incumbere & fortitèr, & solertèr voluisti, ut aliquando scires pacis ornamenta retinere, & unà simul propulsare belli pericula. Ita brevi instructus humanitatis literis, quas apprimè excoluisti, moræ impatiens ad artis militiæ scholam properasti, in qua ad luctam nervosior nemo, in equitando nemo velocior, nemo callentior arma tractare, nec ense ferire aliquis peritior tunc temporis inventus sit. Mirum spectaculum! Utinam tunc liceret adesse, audirequè gemitus, & suspitia plurium nobilium adolescentum, qui còma calamistrata, vel capillo libuto per forum volitabant. Loquor de illis effæminatis, qui suorum genti-

lium

lium fumosis contenti simulacris, non sustinenda esse jura magistratum, non ducendam officij rationem, non subeunda pericula, non excipienda vulnera, non oppetendam mortem præposterè opinantur. Imò ij ipsi non tam vitæ servientes necessitatibus, quam otio, & voluptati, postquam suffusi pudore, & livore fuerunt exesi, hæc, quæ laudamus, rident, & contemnunt sæpissimè, vel quia nitore corporis, & populari gloria nihil aliud præstantius ducunt, vel quia à laboribus alienos ignavia eos, & languor contra nostra argutos facit. Sed quid rei nobis cum his, quos solum oblectant histriones, dum lascivè recitant in scena? Missos profectò faciant honores, nè Rempublicam attingant; patiantur fortes viros laborare, se verò suo otio perfrui. Et hoc loco, quæso, nè qua me levitate ductum ad insolitum dicendi genus labi quispiam putet. Non sum enim tam nescius rerum, non tam in dicendo audax; ut omni ex genere orationem aucuper, & omnes undique flores carpani, ac delibem. Tu verò, CLARISSIME NICOLAE, justè de me exigis, ut induam personam Rhetoris non indidecti. Rhetoris autem esse muneri scias velim ita laudibus efferre gesta Patroni, ut adolescentes industrij rerum excitati granditate ad imitandum magis festinent; pigri tamèn, ac enervati alienarum laudum exulcerati recordatione resipiscant, & emendent semet. Nunc tamen, (ut revertam illuc, unde deflexi) primis tuæ decursis rudimentis juventutis, in qua exemplum nobilium veterum, imaginem fortitudinis, & Reipublicæ columen jam dicerem intueri; quasi emersisse è vadis, & scopulos prætervecta oratio mea videtur. Superest tantummodò, ut quàm semitam elegisti, vel vitæ tenorem ubique retinueris, per transfennam aperiatur; hacce quippè patefacta via facilis mihi reliquus cursus ostenditur. Herculi Ethebanò edito è Jovis satù, habetur in fabulis, occurrisse contraria suasuras Virtutem, & Voluptatem muliebri ambas forma, ac specie; cultu tamen, & vestitu congè diverso. Ut utramque audiret, & secum deliberaret in utram se daret viam, narrant, divinum adolescentem aliquandiù cogitandum substituisse. Hæc de Hercule. Tu tamèn illo valentior non hæsisti, non dubitasti, cum objectam in juventutis flore Virtutis perhonestam, & sanctissimam Iconem cum suis fidissimis ministris integritate, prudentia, sobrietate, constantia, & magnitudine, intento animo auscultavisti, nec momentum temporis commoratus alacer respuisti Voluptatem fæminam prostitutam venustatam mille pigmentis, & alijs

fucis,

fucis , quibus mæreticulæ illiniunt cutem. Quod eò laudabilius autumo , quo strictius , & efficaciùs nobili , & numato adolescenti libido solet blandiri , & crapula , & arrogantia , & fastus , & lascivia. Ita atrox otio bellum indicens , votorum tuorum compos quamprimùm militiæ nomen dedisti. Illam primam sollicitudinem , & industriam , qua diurnas egisti excubias , silebo. Nihil referam de cura , ac diligentia , qua , noctu in statione positus , excubando canebas veterum exemplo militum , qui canere consueverant vel nè interim obdormiscerent , vel ut tædium vigiliarum solarentur mēlos ; Æstus , frigora , nives , glacies quas tulisti fortitèr , & firmitèr tolerasti , libentèr præteream. Non eam prædicabo assiduitatem qua totus intentus munij militaribus cursitando sursum deorsum ita milites instruebas , præsidia disponebas , manipulos ordinabas , centurias distribuebas , ut jam veluti paratæ abjectis sarcinis , & gladijs sublatis in conflictum rectà ire viderentur. Quæ omnia silentio premenda existimo , siquidem essem propè infinitus , sin , quæ nostrâ in Hesperia tùm Centurio , tùm Tribunus militum levis armaturæ egisti impiger , vellem numerare. Quaproptèr relinquendi sunt proprij lares , & aliò commigrandum. Te itaque ô nimium beata Italia armorum primùm , post litterarum laude florentissima , te inquam , obtestor , appelloquè. Tuum est enim illustria NICOLAI gesta , quæ tuis ipsa oculis conspexisti , posteriorum memoriæ nunc subijcere , palamquè , & publicè prædicare. Tuum est dicere , quemadmodum ducis invictissimi partes obiit , cum in agro Mutinensi juxta fluenta Panari , licet glande plumbea gravitèr vulneratus , Copias Germanorum fudit. Tuum est referre quo modo elusis hostium insidijs enavigans noctu Padum , diu verò in aquis Adriatici altam navem conscendens , post diutinum triginta dierum navigationis spatium , ad Brundisium appulit , moxque receptus Neapoli ab humanissimo Rege fuit honoratus verbis exquisitissimis. Tuum est recensere quantum ejus præsentia Hispanum exercitum recrearit , quantam ei auctoritatem attulerit , quantum robur addiderit , & quantum inflammavit , ut superato Latio , Umbria , Romandiola , Lucania , & Gallia Cisalpina , quamvis à tergo , à fronte , à lateribus lacessitæ postremò Legiones nostræ in Liguriam incolumes pervenissent. Tuum est memorare , licet recens obductam refrices cicatricem , illum diem multis familijs funestum , filijs gravem , patribus luctuosum , in quo & exemplo strenuè , & consilio prudenter ille conflixit , fregit hostium invasiones , impetus retardavit ,  
quoad-

quoadusquè lassis militibus , & in agro Placentino cadaveribus  
 coacervatis , uterque exercitus receptui cecinit , nescio cui fortu-  
 na magis iniqua. Eja age ergo , Domina gentium , tuquè sola di-  
 cito facta isthæc , & cuncta quæ NICOLAUS egit ut sagacis-  
 simus dux , ut providus , ut constans , ut impavidus , ut vigil.  
 Sed per Deum immortalem ! Vel ipse ego rogando , turpiter  
 erro , vel tu mihi morem gerendo , ineptè confidis. Quid ? Tu  
 sola es alloquutura ? Quid ? Retis nè incumbere tibi dumtaxat  
 evehere laudibus ea facinora , quæ quia ampla , quia divina , quia  
 immortalia per semet annalium monumentis inserentur , & po-  
 steritati propagabuntur ? Quid ? ergo obmutescant commilitones,  
 amici , necessarii , affines ? Tacebit igitur ille dux famigeratissi-  
 mus , & summus imperator Joannes Dumont Comes de Gages,  
 qui partim vi , partim obsidione propugnacula capientem , sig-  
 na conferentem , manum conferentem sæpenuerò eum vidit ?  
 Tu quoque silebis lautissime eques clarissime Dux de Atrisco belli  
 fulmen , columen Hispaniæ , qui eum vidisti milliès nive perfusum,  
 & algere , & torreri æstibus solis , & laborare siti , & jacere sub dio,  
 & difficiliora quæque castrorum perferre incommoda ? Et tu parens  
 Musarum inclyte miles in rebus percipiendis celer , in judicandis  
 prudens , in consilijs ferendis gravis , volens nolens , etiam conti-  
 cesces ? De Excmo. Viro alloquor EUGENIO GERARDO  
 LOBO ( suavissimi Amici recordatione calamus fletu debilitatur,  
 mens dolore impeditur. ) qui illum plerumquè vidit jam tristem,  
 & mærentem , quoniam tempore opportuno belli apparatus refri-  
 gescebant ; jam animo motum , mente agitatam , quippe cum so-  
 lertissimè olfecisset quò rationes vastræ aularum exterarum colli-  
 neabant , prorsùs incundam pacem arbitrabatur , nè res hispanæ  
 pessum irent. Quàm vellem profectò posse omnium non modo  
 proferre nomina , sed & laudes efferre dicendo ! Verùm enim  
 video me de unoquoque non posse dicere. Nunc , G E N E R O -  
 S E M A R C H I O , negotio facili deprehendes omnes de te  
 magnificè debere loqui , ardentèr velle , certatim concupiscere.  
 Nèc laudum amplissima argumenta , & juxtà actionum tuarum  
 luculenta testimonia queo suspicari esse quidè m respucnda , qu-  
 um , qui deponere potuissent , abundè perspectum habeam te-  
 stes non modò auritos , sed & oculatos fuisse. Immodò tanti judi-  
 co hujuscemodi fidem esse faciendam , quanti ab assentandi stu-  
 dio , & gratiam aucupandi ij abhorrentes , vitam cum morte  
 commutando , æternis in mansionibus conquiescunt. Cum pal-

pandi animo Catoni Uticensi multa quidam pro more effudisset, quæ laudando Censoris facta militaria, quæ civilia proavi Catonis Majoris, refert Plutarchus, Stoicum prudentissimum argute illi respondisse: si quæ vivens enarras, mortuus hære proferres, tuæ laudes ferendæ essent; attamen nunc exaggerare desinito, quia numquam tuis blandis verbis fidem adhibebo. Bellissimum apophthegma! Quo judicium nostrum firmatur, & unâ positi in culmine fortunatum verè commonescunt, ut cane pejus & angue adulatorum blanditias insectentur, & tantummodo auscultent sonos mortuorum. Quod sanè assequi primum est, si Virorum illustrium monumenta evolvantur, & assidue salutaria opera perlegantur, à quibus omni proculdubio quælibet abest assentationis suspicio. His de causis satis intelligo eos, qui in vivis agunt, & in orio adhuc vitam traducunt, nullimodò posse me in testimonium tuorum gestorum adducere amplissimorum, siquidem, quod per mihi molestum foret, essent quantocyùs repellendi tamquam homines corrupti vel memòria acceptorum beneficiorum, vel sperandarum rerum gràtia, vel nimium effusa munerum largitione. Quantum verò humani animi hisce illecebris capiantur, ac propterea inhonesta scateant pruriginè blandiendi, ipsæ (ut est in proverbio) talpæ vident, nec te à Poëtis adinvento custode filix Inachi porro oculatiorem poterit præterire. Possem testes advocare duces præsidarios, qui nunc temporis emerent stipendia in Africæ propugnaculis, oris Americanis, & Insulis quæ Canarijs, quæ Balearibus. Possem & obtestari non minùs canitie annorum, quam rerum gestarum fama spectatos plures commilitones, qui Cæsaraugustæ degunt, Gadibus, Barcinone, Hispali, & Mantuæ Carpetanorum. Possem & fidem implorare prætorix Cohortis ex fortissimis viris conflatae tum natalium claritate illustribus, tum honorum laude, tum judicio, constantia, ac veritate. Nèc facile mihi possum persuadere; ut testem omni exceptione majorem, esse unquam defuturum, qui Regis est à Secretis, Fratrem tuum JOSEPHUM Virum non sibi, sed nobis, & Reipublicæ natum, quem ipsa natura ita finxit ad honestatem, temperantiam, justitiam, integritatem, ut non temerè vaticiner omnes, qui sunt, fuerunt, erunt, virtute, sapientia, gloria esse quamprimùm superaturum. Sed cum fidelissima testimonia, quæ possent affluentèr glomerari, labefiant per se se, ut nuperrimè dictum est, dumtaxat operæ pretium reor convertendum ad memet: nec confido in quampiam vel levem  
suspi-

suspicionem esse venturum. Venirem mehercle, si res militares, quas gerundas suscepisti, elaboratè delinearem; nam adulationis æquissimæ suspicioni, quæ cunctis mortalibus est communis, accederet bellicorum memoratio tuorum factorum, quæ nexu validiore conjunguntur cum clangore tubarum, equorum hinnitibus, strepitu sclopetorum, quam cum literarum otio. Idcirco ego qui tantum mûsis intra siparium cano, eventuum martis, & belli alexæ planè ignarus, ad ea quæ te intus beant, insigniunt quæ, spontè transmeo. Dexteritatem, agilitatem, fortitudinem, robur, acumen, & alias id genus naturæ magnificentias, quæ actionum militarium sunt comites, & administræ, bona externa Philosophi appellarunt. Interna verò ea solùm voluere nuncupari quæ solidantur religione, mansuetudine, innocentia, clementia, justitia, humanitate. Externa inter jure locamus illa quæ te de, tuis de quæ viri integri dixerunt uculquæ, vel dicere poterunt. Solummodo nostrum est postrema percurrere quæ audivi, quæ vidi, & quæ nè taxentur uti suspecta, dexteram porrigendo, obstringor jurejurando, cum nullum vinculum, ut inquit Cicero, ad fidem stringendam jurejurando Majores voluerint esse arctius. Ac primùm mihi succurrit religio, quæ tanta in te fuit, ut Divorum cultui intentus semper templa adire, solemnij Missarum adesse, & fundere devotè ad Deum ubiquè preces numquàm prætermisisti. Quæ quò laudabilia sunt in homine, qui æterna cogitet, & vitæ puram rationem instituat, eò in te fuerè sanè commendatiora innumeris penè rerum anxietatibus implicato, ægritudinibus animi, & molestijs negotiorum. Quæ maxima commendatio, ut mea fert opinio, in immensum ferè excrefcit, si quæ geruntur sanctissimè, plerumque in medio fiant castrorum, stationum, excursionum, obsidionum, hostilium insidiarum. Quid enim, Ædepol, homini quidè accommodatius, & Deo acceptabilius, quam inter insolentias non insolescere, inter furta non furari, inter execrationes non execrari, inter lascivias non lascivire, inter occisiones non occidere? Quod vè genus oblationis Numini placabilius, quam inter vindictam benevolentia, inter stragem commiseratio, inter jacturam tolerantia, inter victoriam moderatio, inter iram mansuetudo? Hæc porrò magna sunt. Verumtamèn quis isthæc non dicet majora, si tantus homo videns urbium vastationes, altè animo ingemiscit; rapinas, in sacellum ingreditur; libidines, Deum precatur; trucidationes, perseveranter rogat? Proh æterne Deus! Quid  
jam

jam ergo restat? Quid habeo quod dicam? Dicam profectò Lu-  
 cane: Poëtarum more mentiris, dum palàm cecinisti, nullam  
 fidem, pietatem vè in illis inesse viris, qui castra sequuntur:  
 Non sunt hæc castra castra Pompeij, Catonis, Casij, Bruti.  
 Castra sunt militis pijsimi, & ducis religiosissimi. Tu tuos ce-  
 lebrato Heroas, quos ab omni fide fuisse alienos, incautè dicis.  
 Ex tamen ingenij tui acumine, & morum facilitate certè con-  
 jicio, quod paginam castigasses, si difficilibus tuis temporibus  
 NICOLAUS florisset, quem ad nostra fuisse servatum glo-  
 riamur, nec tantum beneficium acceptum referimus cæco fortu-  
 næ arbitratui, sed provido Dei consilio. Satis contra Lucanum:  
 Nunc contra te Hominum Humanissime. Si religio adèd  
 te circumstat, ut nihil magis, quo pacto operibus pietatis cun-  
 ctis nervis incubuisti, cum nemo queat inficias ire te plurimo-  
 rum flagitijs ignovisse, quæis pulsatae sunt sapissimè aures tuæ?  
 Forsam pietas, justitiaquè non firmissimo inter se, & arctissimo  
 fœdere conjunguntur? Nescis adhibendam esse severitatem, nè  
 auctoritas obsolescat, cum spretis magistratibus perinde sit, ac  
 si temnerentur leges dignitatum custodes? Ast ecur te diutiùs  
 teneo? Cum satis compertum sit numquam te militum grave  
 crimen impunitum reliquisse, licèt ad speciem impunitum  
 videretur. Plus milliès audivi aliquos de tua nimia indulgentia,  
 facilitatequè conquerentes. Attamèn si rem funditùs percalluis-  
 sent, & intimos tuos sensus persequi voluissent, arbitror nè ad-  
 huc per jocum musituros. Quos potuisti, punivisti quidem:  
 quos verò non, imperatoris exercitus judicio subjecisti, quum,  
 servata officiorum ratione, auctoritati tibi non conceditæ nul-  
 limodò invideres. At in quos Prætorianos, quorum eras Præfe-  
 ctus, aliquando animadvertebas, rarò in suffragium ibas virgis,  
 loris, vel capite esse plectendos, sed vel perpetuis proterendos  
 excubationibus, vel iteratis terræ coacervationibus, vel vallo-  
 rum, fossarum, aggerum constructionibus, ut ita huc illuc la-  
 boribus raptati, afflicti que, criminum pœnas luerent, & unà de-  
 clinarent acerbiores ferendas posthac, si fines æqui bonique à  
 natura constitutos, & belli legibus comprehensos rursùs tran-  
 silirent. Aliquando autem increpatione, adhortatione, opéra,  
 consilio usus es. Non me fallit te aliquos de nobilitate juvenes,  
 quibus tua abundat Cohors, aliquantispèr illecebris implicatos,  
 ut ea lubrica ætas fert, in domum clam evocasse, ibique cum  
 objurgatione, tum suasionè illos emoluisse, ad majorum imi-  
 tatio-

rationem inflammasse , & ad omne genus virtutes vehementer commovisse. Tantum erat verborum tuorum pondus , tantus sermonis lepor , tanta animi lenitudo. Quæ omnia in duce sollicitam vigilantiam , & miram morum elegantiam ostendunt , fidemque cum probitatis , tum justitiæ faciunt amplissimam. Hinc , si quid ego judico , ea tua humanitas effluebat , quâ idem Agminum imperatoribus , idem æqualibus , idem infimis , idem cunctis omnino gentibus in pretio , in amore , in delicijs eras , ut nihil ubique jucundius tuo nomine , nihil sublimius , nihil commendatius in ore omnium , atque animo versaretur. Hinc domus , vel tentorij fores omnibus patefactæ , quos non minus urbanè , quàm lenitè excipiebas. Si quis rusticanus autè , ut solet contingere belli tempore , aut incivilitate , vel casu simili ad te parùm in tempore veniebat , non superbè , non iracundè suscipiebatur , sed illi alloquendo tum placidè , tum festivè , efficiebas ut ad tempus commodius veniret secundo. Similem quoque scio in quosdam petitores comitatem adhibuisse te , qui callidè ingressi rogaturi quædam parùm prudentè , nè asperè , nè acerbè repulsi sunt ; quin potiùs , de rei momento , & pondere petitionis humanitè admoniti , planè intellexerunt postulationis inverecundiam , nè illis , salva ratione officij , morem ullatenù geri posse. Ita negando , quod rogabant , placatos nihilominus dimissisti. Quamobrè nemo mirabitur humanitatem , lenitatem , mansuetudinem , quæ in te virtutes adè mirificè prominuerunt , eam peperisse incredibilem charitatem , qua semper egentes puellas , viduas inopes , nudos pupillos es prosecutus. Nùm inficiaberis duces hispanos per Bononiam , ubi diu es commoratus , servis stipatos solitos fuisse volitare equis pernicibus , curribus auratis ? Scito interrogasse me aliquos de tuismet commilitonibus , cur NICOLAUS quoquè non luxuriat ? cur etiam non fertur equis ? defunt nè aurigæ ? defunt nè vehicula ? erras , dixerunt subtridentes , quippe NICOLAUS tamquàm exemplum veteris sobrietatis , solummodo temperantè , parcè , severè vivit ; quidquid autem ab alenda familia superest , pauperes sibi veluti suo jure vindicant. Hæc illi. Vulgaria sunt. Splendidiora restant. Quæ nos apponimus audi. Non modo non sinebas quemquam vacuum abire , qui ad rogandum accessisset , sed nè rogari quidem te , ut plurimum , patiebaris. Audivimus cibum insperantibus non raro te manus porrexisse , tantam omninò ad sublevandas egenorum necessitates adhibendo diligentiam , quanta fortasè vel ij

ipsi commiserationis alienæ indigi uterentur ad propriam utilitatem, & vitæ reparationem. Et si nihil sædus est, quam diligendo divitias amplecti, si nihil honestius, quam si non habemus, divitias aspernari, & nihil magnificentius, quam cum habemus, in liberalitatem eas conferre; quo sane nomine benevolentia illum decorabimus, qui inopes domi occlusos, & præ pudore penè nolentes quærit, & ut reficiantur allicit, ac invitat? O novum charitatis genus numquàm satis prædicandum! Referunt agnatum tuum Joannem de Carvajal Cardinalem de Sancto Angelo in egenos fuisse nimis largum, & munificum. Si affinis tuus Didacus Ludovicus Jhuilltemoçtion unà cum regio sanguine sumpsit lenitatem avi sui Imperatoris Motezuma, haud mentiar, si eum dicam humanissimum, facilem, temperatum. Non minus habeo compertam prudentiam, industriam, & morum sanctimoniam gentilis tui Marchionis de Valdefuentes Alvari de Sande, quem propter egregias animi dotes effusissimè dilexit Carolus Quintus Imperator. Avunculus verò tuus Ferdinandus de Lencafter Dux de Linares Americani Imperij Prorex homo fuit eximie pietatis, incorrupti judicij, modestia singularis. Sed quid nostra interest singulos recensere? Quid? Interest plurimum, mediis fidius: siquidem hõcce modo te unum virtutes, quæ fuerunt divisæ, colligentem in temet, ostendo feliciter æquavisse quoscumque famosos heroes tui regalis gentilitij; & ut aliquando superes etiam, atque etiam rogo, magnoperèquè spero, nescio equidèm quid magni promittunt sidera. Clamat de terra ardentissima tua charitas, justitia, religio, humanitas, mansuetudo. Idcirco lactor spe D. O. M. munificum proviforem virtutes tuas compensaturum, domum conservaturum, stirpem fecundaturum, & ità gesta remuneraturum, ut numquàm oblivio memoriam nominis tui debeat ad immortalem gloriam hispanæ gentis, & laudum officia tibi persolvenda constitutam. Romani, præter virtutis incitamentum, nè prorsus periret nomen familiae, & factorum virilium æquissima recordatio, pro diverso victoriae genere, his civicam, illis triumphalem, castrensem alteris, alteris muralem coronam decernebant. Ægyptij, non tam ut Reges sepelirentur, quam ut in illis sculperentur illustria gesta suorum, animo gratissimo Pyramidas attollebant, quæ imâ sui parte latiores, & in fastigium acuminatum desinentes, ultra omnem excelsitatem, quæ manu fieri posset, structuram ex quadratis lapidibus admirandam viatorum oculis adhibebant. Græci, nè ci-

ves optimè de patria meriti , qui signis collatis Reipublicæ comparaverant victoriam ad Salaminam , ad Marathonem , ad Plathæam , statuas equestres fursùm levarunt ex Corinthio conflatas ære tum fulvo , tum candido , quod nonnumquam etiam auri æstimationem excedebat. At verò qui non intelligit à Romanis ambitas frondes virentes mane diei elanguisse noctu ? lapides Ægyptiorum pyramidatos sua ipsa mole penitus corruisse ? æra Græcorum imaginum vel scissa fuisse membratim , vel liquefacta igne ? Sed si peccarunt Memphis , Roma , Athenæ , arbitror errorem nostros Hispanos emendaturos , nè tibi , ut in eorum sempiterna verferis recordatione , DUX ORNATISSIME , esse deinceps consecratos pyramidas , hederas , colossos , etenim primæ concidunt , alteræ marcescunt , postremi liquefiunt. Igitur solummodo viri Hispanienses tuorum , quibus Patriam cumulasti , beneficiorum recordabuntur : quam porro reminiscantiam Avi ad nepotes , Parentes ad filios transfundent , ut sic venturis atatibus illa jugiter propagata , quicumque nobis succedent , te mitentur infantem ad hujus regni ornamentum Numinis manifesto concessum beneficio : puerum nondùm manibus pugnantem , auspicijs tament vincentem suis : adolescentem ponentem in castris tyrocinia , verùm jam in tyrone ducem : virum provincias , exercitus , arces , urbes strenuè debellantem : hominem demùm omnis generis virtutibus circumfusum , in adversis constantem , in prosperis moderatum , indefessum in laboribus , impavidum in periculis , beneficum in egenos , in victos misericordem. Verùm sentio me esse longiùs proVectum , quam suscepti argumenti fides postulabat. Adhibeat ergo oratio modum , & quæ è terra in altum solvens vela dedit in portum recipiat se se , ut jam nihil negotij habeat cum ventis , undis , vorticibus , ac cotibus. Habes , NICOLAE , fabrefactam properantèr effigiem tuarum virtutum. Vellem esse educatus Rhetorum in officinis , ut omnia lumina sententiarum , & verborum ornamenta possem colligere quibus Icon affabrè perpolita in omnium animis admirationem , & laudem commoveret. Sed nè ego ineptus , ut illam vultare potuissem. Ideò nolui rectà ire ad te , sed transversè , & obliquè honestum quæsi vi , & ingeniosum adolescentem JOACHINUM ocellum meum , qui non solum nuncupasset tibi Theses Biblicas commune periculum subituras , quin etiam meam inopem panegyrim non delibatam ex floribus eloquentiæ , in quo genere

Tul-

Tullius arcem tenuit : non ea certè explicitam brevitate , in qua  
 Salustius regnavit : non ea subtilitate , in qua dominatus est  
 Hortensius : non ea ubertate , in qua Plinius primas tenuit : non  
 ea gravitate , in qua princeps fuit Seneca : non ea festivitate , in  
 qua singularis fuit Martialis : non ea simplicitate , in qua Te-  
 rentius nulli celsit : non ea suavitate , in qua fuit Statius nulli  
 secundus : non eo tandèm acumine , in quo antecelluit Quin-  
 tilianus , de quo nulla umquam ætas conticescet. Munus igitur  
 hocce , qualecumque esto , ab eo qui tui , tuorumquè est ob-  
 servantissimus , quam maximè possum accipias precor. Perpen-  
 de rem accuratè , omni procùl dubio parva videbitur. Sed ex-  
 pecta animum , & me vel tacente , dices gratissimum.

SCRIBEBAM POSTRIDIE KALENDAS APRILIS ANNI MDCCLIII.

## PRO MATUTINO CERTAMINE:

### I.

**P**ostquam publicè annis proximè elapsis sancitum est prò virili Christum Dominum natum esse anno quadragesimo Imperij Octaviani Augusti ; baptizatum decimo sexto Proconsularis Tiberij Caesaris ; nunc reliquum est , nè quam annis vita Christi illigavimus Chronologia manca appareat , ut in illius anno emortuali aliquantisper immoremur , & nostrum in hac re iudicium interponamus. Julius Africanus , Eusebius Cæsareensis , Epiphanius , Orosius , & Isidorus Christum mortem oppetiisse anno trigesimo primo Æra vulgaris opinati sunt. Pro anno trigesimo secundo ejusdem Æra stat Casar Baronius , nè , si quid rectè iudico , temendis innixus conjecturis. Anno trigesimo tertio passionem Christi affixerunt Abulensis , Genebrardus , Petrus Postinus , Natalis Alexander , nullo , quod expressum sit , ipsis fatentibus , muniti antiquitatis suffragio. Christum mortem subisse anno ferè quinquagesimo ætatis sue auctor habetur Episcopus Lugdunensis Sanctus Irenæus , cui facile album calculum suam dederunt Sanctus Maximus , Nicetas Pectoratus , & Georgius Syncellus , quibus sua sponte accessit novitè Tillemontius. Nos , quibus hæ sententia non placet , cum Augustino , Lactantio , Tertulliano , Chrysostomo , Hieronymo , & alijs benè multis tuebimur : Christum Dominum fuisse mortuum anno ætatis suæ trigesimo tertio ineunte , Imperij Proconsularis Tiberij decimo nono anno , vigesimo nono Æræ vulgaris , cum Romæ Rubellius Geminus , & Fusius Geminus inirent Consulatum ,

### II.

**D**IE vigesima quinta Mensis Martij Christum morte turpissimâ humani generis causa fuisse multatum constans fuit Ecclesia traditio ad seculum usque decimum tertium , in quo floruit verùm mathematicarum peritus Rogerus Baconus gente Anglus , instituto Franciscanus , qui Christum obiisse die tertia Aprilis temè scripturavit : in quem eundem lapidem Bursensem , ac Toftatum postmodum impegiisse me edocet Antonius Pagius. Ast novum systema Baconi aures pias nimium verberasse ultrò fassus est in libro de scriptoribus Minorum Vir candidissimus Ursadingus ejusdem Familie celebris Annalista. Circa verò horam cruci affixionis maximoperè insudarunt Interpretes Biblicorum. Marcus Christum fuisse crucifixum hora tertia refert : Joannes autè hora quasi sexta. Exploratum habeo ad utrumque Evangelistam conciliandum Doctores sanctissimos Aquilinum , & Angelicum ad notam numeri confugisse depravatam manu alicujus scitoli , aut oscitantis Scriptoris , quæ depravatio , ut sagacitè odoratus est Cornelius Alapide græcis literis versatissimus , eò potuit faciliùs evenire , quòd inter litteram græcam , qua signatur numerus ternarius , & alteram qua senarius notatur , maxima sit affinitas. Verùm enim verò , ut ingenuè dicam , quamvis non sint flocci faciendæ suspitiones tam ponderosæ , haud video tamèn cur similia cogendus sim atretere spineta. Quas ob res , Incalentiùs , arbitror , iri exsufflatam apparentem antilogiam , sin asseramus : Juxtà D. Marcum Christum fuisse cruci affixum hora tertia non diu elapsa , sed proximè accedente ad horam sextam , & ideò D. Joannem verè scripisse : hora quasi sexta.

### III.

**V**IX Christus expiravit ; cum , uti tenet Symbolum Apostolicum , descendit ad inferos sanctissima illius anima. Joannes Calvinus , agente Venerabili Roberto Bellarmino , bocchè de alloquens descensu , locum subterraneum animarum damnatarum , purgatorium , limbum Sanctorum , fabulas aniles , & somnia muliercularum appellavit. Horrenda sanè blasphemia , & uno dumtaxat digna Calvino ! Nos è contra Christum ad verum locum Inferni ubi erant anime iustorum descendisse catholicè protestemur. Imò tenemus Christum adijisse locum eorum damnatorum , qui erant perpetuis flammis ultricibus addicti. Plura utriusque Testamenti , & Sanctorum Patrum testimonia primâ fronte videntur insinuare Christum damnatis predicando aliquos convertisse , præsertim illos Philosophos , qui juxtà præcepta rectæ rationis ætatem suam traduxerant. Nihil omninùs , rebus aqua libratis lance , remur testimonia non esse adeò implexa , & salebrosa , quæ , ut queant appositè explanari , aliquo indigent Dello , ut ajunt , natatore. Idcirco dicemus : Christum Dominum ad locum damnatorum usque penetravisse , ut illorum impietatem , vel infidelitatem confutaret , non ut aliquem liberaret , cum nullus locus superis respicientiæ post excessum ex hac vita :

## PRO VESPERTINO CERTAMINE.

### IV.

**C**HRISTUM Dominum à mortuis resurrexisse manè dilaculo, non primo gallicinio diei Dominica, ut visum est D. Hieronymo, ostendunt quæ de hoc factò scribunt Evangelistæ. Lucas quoque refert quadraginta dierum spatio Jesum Christum conversatum fuisse cum discipulis multa dicentem de Regno Dei. Inter verò ea quibus illos voluit informare, potissimum recensentur quæ dicta sunt D. Petro, qui tær interrogatus: Simon Joannis diligis me plus his? respondit contristatus: Domine tu nosti omnia: tu scis quia amo te. Quæ amoris singularis protestatio quàm maximè grata fuerit Christo Domino, significat affluentèr collatio officij pastoralis: Pasce agnos meos... pasce Oves meas. Hæc verba hercle sunt lapis molaris, quo primatus Pontificum osores inverecundi penitus opprimuntur. Lutherani ex orco revocantes deliria Uviclessi, & illi omnes, quibus magis regimen arripit Aristocraticum, quàm Monarchicum, multa incredibili labore convasârunt, ut verba Christi non de solo Petro intelligenda esse probarent. At quis non videt, si vera essent hæc, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos aquandos summo Pontifici? Nos jus suam unicuique dantes secundum propriam dignitatem, ex Christi textu, pasce oves meas, rectissimè inferemus: dumtaxat Petro fuisse commissam potestatem generalem totum gregem pascendi.

### V.

**V**ERUM ea hinc pullulat gravis disceptatio, quæ olim exarsit Augustinum inter, & Hieronymum: quippè cum legatur in epistola ad Galatas D. Paulum vehementèr Cepham increpavisse, Hieronymus, nè quispiam Paulum Petro superiorem preposere existimasset, tantummodo pia simulatione, & sancta politia Petrum fuisse objurgatum, profectis contendebat. At contra Augustinus verè, & sincerè Paulum increpasse Petrum tenebat, cum Hieronymo datis literis suavisset, nè vellet per suam explanationem aditum aperire, ut de scripturarum fictione, & Sacrorum Scriptorum mendacio suspicarentur Ethnici. Verumtamen cum recentèr in textum ad Galatas incidisset vir singularis P. Joannes Harduinus, prorsus negando Cepham fuisse Petrum, feliciter consopitam expergescit opinionem Clementis Alexandrini, quam novis argumentis obvallavit. Sententia sanè ingeniosa, & ori hereticorum obturando quasi nata! Sed nos qui, nè difficultatem fugere videamur, supponimus Cepham fuisse Petrum, alia via hostibus auctoritatis pontificiæ obviam eandem arbitramur. His de causis affirmabimus: non solum in potestate universum gregem pascendi non fuisse majorem D. Paulum, verum nè adhuc Petro æqualem.

### VI.

**I**TA tamèn D. Petri attollimus potestatem, & auctoritatem minuímus D. Pauli; ut istius virtutem cumulo nec teruncium derogatam iri judicemus. Quoniam ducem, mediatorum, Ecclesiæ caput, Romæ apostolum fuisse Paulum cum Dionysio, Epiphano, Cyrillo, Leone, ultrocitroque fatemur. Nemo siquidem sani sintipitis hucusquè potuit proferre Paulum ratione sui magisterij, & apostolatus, doctrina, prædicatione totam ferè orbem non illustrasse. Num verò illius præsentia quoquè nostra fuerit Hispania nobilitata, jam multis ab hinc sæculis in dubium est revocatum. Paulus scribens ad Romanos luculentèr attin Hispaniam se quamprimum profecturum. Viri sapientissimi rem ad normam rigida critica ponderantes, negarunt susceptum de profectioe consilium executioni fuisse mandatum, cum solido biennio à Nerone D. Paulus detentus esset in carcere. Attamen nos nullis Nationis præjudicijs occupati, semel ac intento animo perspeximus, ea quæ, ut me edocet Baronius, dilucidè exponuntur cum in Romano Martyrologio, tum in Græcorum Monologio, & Chronico Adonis, piaculum porro duximus recedere à sententia asserente: Sanctum Paulum alienigenarum navibus portatum esse in Hispaniam, ibiquè illius populos evangelica doctrina imbuisse.

DISPUTABUNTUR

Dic 4. mensis Maij anno 1753;

Manè hora 8. Vesperè hora 3,

